



39
A. L. Linton
C. H. G.






EMBLEMATA ANDREÆ ALCIATI.

Jurisconsulti cla-
rissimi.



*L V G D V N I,
Apud Gulielmum Rouillium,
Sub scuto Veneto.*

1548.



Ad Lectorem.

ANDRÉ AE AL-
ciati Patricij Mediolanensis,
Iurisconsultorum eloquentissi-
mi, & eloquentium iuriscon-
sultissimi Emblemata, quæ vir ille nunquam
ab literis feriatus dum à seuerioribus legum
studijs respicit: & humanæ literaturæ Mu-
sis amœnoribus recreatur: ludendo effudit
æphorismos, noscænæklosus: prout varium
vel sensibus externis, vel commentaryibus
internis sese offerebat argumentum. Ea nos
sub generalibus præcipuarum rerum capitili-
bus in locos communes, tanquam in certas
clases digessimus: à summis, ad ima progre-
dientes. Non eo sane consilio, ut autore ipso in
œconomia sui operis, aut diligentiores, aut con-
cinniores videri studeamus: sed ut illius lu-
sus, in communes usus adducamus. Eius ope-
ris dupli habitu ratione, voluptatis nimium,
& utilitatis. Priore quidem, ut specio-
sior quadam operis forma extaret oculis le-

gentium, singula suo quæque collocata loco considerantium. Composita namque sparsis, & ordinata cōfusis, fere solent apparere pulchriora. Altera autem, ut facilior, & promptior esset quærentibus inuentio. Etenim expeditius est, diuersi res generis in suum quaque ordinem & locum dispositas: quam in turbam temerè congestas inuestigare, si quædo ijs opus habemus utendum. Porro usus Emblematum, preter gratiam, ac voluptatē ex iucunda nouitate, quæ tedium leuat, brenē sententiæ argutiam, quæ animum pungit, numerosam versuum suavitatē, que aures mulcet, & wō eīnōwō picturam nō inanem, que oculos pascit. Etiā ille (inquam) usus est, ut quoties rebus vacuis complementum, iudis ornamētum, mutis sermonem,alogis rationem tribuere, aut certè affingere velit quispiam, is ex Emblematum libello, tanquam ex promptu. trius instructissimo habeat quod domesticis parietibus, v treis fenestrīs, aulāis, peristro mutis, tabulis, vasīs, signis, anulis, sigillaribus, vestimentis, mense, fulcro, armis, gladio, supel-



lectili denique omni, nusquam non, inscribere,
 & impingere posse, ad hoc scilicet ut usque-
 quaque loquax, & aspectu iucunda sit rerum
 ad usum communem spectantium facies. Qua-
 re & ipse Alciatus, sua haec epigrammata
 appellatione conuenientissima inscribi voluit
 Emblemata. Sunt enim Emblemata vermicu-
 lata opera ex tessellis insitutijs apta & com-
 posita, interprete Budæo, quod & ipsa voca-
 buli Græci origo ostendit. Quisquis igitur &
 sententia brevis acumine, & festiuæ imagine
 res suas decorare volet: ex hoc libello abunde
 habiturus est, unde sibi desumat quod ad re
 quamlibet accommodari posse videatur, idque
 promptissime, & facilime. adaptato nimirum
 suo commento ad summæ rerum genera, &
 singulas generum formas suo quasque ordine
 dispositas, iuxta rerum naturalem seriem, &
 usum communem. Quarum etiam index tabu-
 la subiecta est operi variuerso, à multis, &
 magnis, quibus vitiatum erat mendis expurgato,
 & planè restituto ἐς τὸν ἀυτόγραφον.

CLARISS. VIRI

ANDR. ALCIATI

In Librum primum Emble-
matum præfatio , ad
Chonradum Peutin-
gerum Augu-
stanum.



Dum pueros iuglans,iuuenes dum tessera fallit,
 Detinet & segnes chartula picta viros:
Hec nos festiuis Emblemata eudimus horis,
 Artificum illustri signaque facta manu:
yestibus ut torulos,petasis ut figere parmas,
 Et ualeat tacitis scribere quisque notis.
At tibi supremus preciosanomismata Cesar,
 Et ueterum eximias donet habere manus.
Ipse dabo uati chartacea munera uates,
 Que (Chourade) mei pignus amoris habe.



DEVS, SIVE RELIGIO,

In Deo latandum.

ΓΑΝΥΣΘΑΙΜΗΔΕΣΙ,



GANYMEDES.

Aspice ut egregius puerum Iouis alite pictor
 Fecerit Iliacum summa per astra uehi.
 Quis ne louem tactum puerili credat amore?
 Dic, huc Maonius fixerit unde senex?
 Consilium, mens atque Dei cui gaudia prestant:
 Creditur is summo raptus adesse Ioui.

Sapientia humana, stultitia est
apud Deum.



Quid dicam? quoniam hoc compellē nomine monstrū
Biforme: quod non est homo, nec est draco?
Sed sine vir pedibus, summis sine partibus anguis,
Vir anguipes dici, et homiceps anguis potest.
Angue pedit homo, hominē eructauit et anguis,
Nec finis hominis est, initium nec est feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis,
Sic et gigantes terra mater protulit.
Hæc uafrum est species, sed religione carentem,
Terrena tantum quique curet, indicat.

Ficta Religio.



Regali residens meretrix pulcherrima sella
 Purpurco insignem gestat honore peplum.
 Omnibus & latices pleno è cratere propinat.
 At circum cubitans ebria turba iacet.
 Sic Babylona notant que gentes illice forma,
 Et ficta stolidas relligione capit.

Non tibi, sed religioni.



*Isidis effigiem tardus gestabat asellus,
Pando uerenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat.
Piásque genibus concipit flexis preces.
Ast asinus tantum pr̄estari credit honorem
Sibi: & intumescit admodum superbiens,
Donec eum flagris compescens dixit agaso,
Non es Deus tu (aselle) sed Deum uehis.*

Quà Dij vocant eundum.



In triuio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij est igitur tumulus. Suspende viator
Serta Dco: rectum qui tibi monstrat iter.
Omnes in triuio sumus, atque hoc tramite uitæ
Fallimur, ostendat mi Deus ipse uiam.

V I R T U T E S.


F I D E S.

Fidei symbolum.



Stet depictus Honos tyro uelatus amictu,
Eiusq; iungat nuda dextram Veritas.
Sitq; Amor in medio castus:cui tempora circum
Rosa it, Diones pulchrior Cupidine.
Constituunt hæc signa fidem, reuerentia Honoris
Quam fouet, alit Amor, parturitq; Veritas.

Fœdera.



Hanc citharam, à lembi que forma halieutica fertur,
 Vendicat & propriam Musa Latina sibi,
 Accipe Dux, placeat nostrū hoc tibi tēpore munus,
 Quo noua cum socijs fœdera inire paras.
 Difficile est, nisi docto homini, tot tendere chordas:
 Vnāque si furcit non bene tenta fides,
 Ruptāue (quod facile est) perit omnis gratia cōch.e,
 Illēque præcellens cantus, ineptus erit.
 Sic Itali cōcunt proceres in foedera, concors.
 Nil est quod timeas, si tibi constet amor.
 At si aliquis desciscat (uti plerunque uidemus)
 In nihilum illa omnis soluitur harmonia.



In silentium.



Cum tacet, haud quicquam differt sapientibus amēs,
Stultitiae est index linguae, uoxq; sue.
Ergo premat labias, digitōque silentia signet,
Et sese Pharium uertat in Harpocratem.



Non vulganda consilia.



Limine quod cæco, obscura & caligine monstrum
 Gnoſiacis clausit Dedalus in latebris:
 Depictum Romana Phalinx in prælia gestat,
 Semiuirōque nitent signa superba boue.
 Nósque monent: debere ducum secreta latèrē
 Consilia: autori cognita technia nocet.

Nec quæstioni quidem
cedendum.



Cecropia effictam quam cernis in arce Leænam,
Harmodij(an nescis hospes?) amica fuit.
Sic animum placuit, monstrare viraginis acrem
More feræ:nomen uel quia tale tullit.
Quòd fidibus contorta, suo non prodidit ullum
Indicio:elinguem reddidit Iphicrates.

Consilio, & virtute Chimæran
superari, id est, fortiores
& deceptores.



Bellerophon (ut fortis eques) superare Chimæram,
Et Licij potuit sternere monstra soli.
Sic tu Pegaseis uectus petis aethera pennis,
Consilioque animi monstra superba domas.



Vigilantia,& custodia.



Instantis quod signa canens det gallus èòi,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus,
Turribus in sacris effingitur, ærea mentem
Ad superos peluis quod reuocet uigilem,
Est leo.sed custos oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.



Νῦφε καὶ μέμνος ἀτασθῆτος. ἔρθρα ταῦτα τῶν
φρενῶν. Sobrietè viendum :& non
temerè credendum.



Ne credas (^{re}Epicharmus ait) non sobrius esto,
Hi nerui, humanae membraque mentis erunt:
Ecce oculata manus credens id quod uidet. Ecce
Pulgium, antiquæ sobrietatis olus,
Quo turbam ostendo sedauerit Heraclitus,
Mulixerit & tumida seditione grauem.

Πὴ ταρεβημένοις Τί δὲ ερέσας; Τί μοιδέομ, δικαιολέσθη; Quid excessi? quid admisi? quid omisi?




Italice Samius se et celeberrimus autor
Ipse suum clausit carmine dogma breui.
Quo prætergressus: quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem urgens reddere quenq; sibi.
Quod didicisse gruum uolitantum ex agmine fertur,
Arreptum gestant que pedibus lapidem,
Ne cessent, ne transuersis mala flamina raptent.
Qua ratione hominum uita regenda fuit.


Prudentes. Problema.




Iane bifrons, qui iam transacta, futuraq; calles,
 Quiq; retro sanx (sicut & ante) juides;
 Tot te cur oculis, tot singunt uulibus? an quòd
 Circumspectum hominem forma fuisse docet?




Prudens, magis quam
loquax.



Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis,
Inter aues sani Noctua consilij.
Armifer e merito obsequijs sacrata Minervæ est,
Garrula quo cornix cesserat ante loco.



Maturandum.



Maturare iubent properè, et cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum,
Hæc tarda est, uolitant spicula missa manu.

In depræhensum.




Iamdudum quacunq; fugis te persequor, at nunc
Cassibus in nostris deniq; captus ades.
Amplius haud poteris uires eludere nostras,
Ficulno anguillam strinximus in folio.

Custodiendas virgines.



Vera hec effigies innuptæ est Palladis; eius
Hic Draco, qui dominæ constituit ante pedes.
Cur diuæ comes hoc animal? custodiæ rerum
Huic data, sic lucos sacrâq; templa colit.
Innuptas opus est cura asseruare puellæ:
Peruigili, laqueos undiq; tendit amor.

Vino Prudentiam augeri.



H.ec Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, soboles utraq; uera Iouis:
H.ec caput, ille femur soluit: huic usus oliui
Debitus, inuenit primus at ille merum.
Iunguntur merito, quod si qui abstemius odit
Vina: Deo nullum sentit auxilium.

Prudentes vino abstinent.



Quid me uexatis rami sum Palladis arbor,
Auserte hinc botros, uirgo fugit Bromium.



In statuam Bacchi.

DIALOGISMYS.



Bacche pater quis te mortali lumine nouit?
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnosida uidit,
Atque illo pinxit tempore qualis eram.



Cur iuuenis, teneraque etiam lanugine uernat
 Barba: queas Pylium cum superare senem?
 Muneribus quandoque meis si parcere disces:
 Junior, & forti pectore semper eris.
 Tympana non manibus, capiti non cornua desunt,
 Quos (nisi dementeis) talia signa decent?
 Hoc doceo, nostro quod abusus munere sumit
 Cornua: & insanus mollia sistra quatit.
 Quid uult ille color membris penè igneus? (omen)
 Absit) an humanis ureris ipse focis?
 Cum Semeles de uentre parens me fulmine traxit
 Igniuomo: infectum puluere mersit aquis.
 Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit undis:
 Qui non ardenti torret ab igne iecur.
 Sed nunc me doceas qui uis miscerier? & qua
 Te sanus tutum prendere lege queat?
 Quadrantem addat aquae, calicem sumpsisse falernu
 Qui cupid, hoc sumi pocula more iuuat.
 Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
 Ultra: alacer, sed mox ebrius, inde furit:
 Res dura haec nimium: sunt pendula guttura, dulce
 Tu fluis, Heu facile commoda nulla cadunt.

Nec verbo, nec factō quen-
quam lædendum.



Assequitur, Nemesisq; virūm uestigia seruat,
Continet & cubitum, durāq; frēna manu.
Nē malē quid facias: nē ue improba uerba loquaris:
Et iubet in cunctis rebus adesse modum.



Tandem,tandem Iustitia
obtinet.



Aeacide Hectoreo perfusum sanguine scutum,
Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit:
Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum
Nafragio ut dominum posset adire suum.
Littorco Aiacis tumulo nanque intulit unda:
Que boat: & & tali uoce sepulchra ferit.
Vicisti Telamoniade, tu dignior armis.
Affectus fas est cedere iustitiae.

Etiam ferocissimos domari.



Romanum postquam eloquium, Cicerone perempto,
Perdiderat patrie pestis acerba suæ:
Incedit currus victor, iunxitque leones,
Compulit et durum colla subire iugum,
Magnanimos cessisse suis Antonius armis,
Ambage hac cupiens significare duces.



Gratiam referendam.



Aërio insignis pictate Ciconia nido,
Inuestes pullos pignora grata fouet.
Tali.ique expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, prestat & ore cibos.

Abstinencia.



Marmoreæ in tumulis una stat parte columnæ
Vrceus, ex alia cornere miliuum est.
Ius hæc forma monet dictum sine sordibus esse
Defunctum puras atque habuisse manus.

Bonis à diuitibus, nihil
timendum.



Iunctus contiguo Marius mihi pariete, nec non
Subbardus, nostri nominanota fori,
Accidificant bene nummali, satcunq; uel ultrò
Obstruere heu nostris undique luminibus.
Me miserum, geminæ quem tanquam Phinca raptat
Harpyiæ, ut proprijs sedibus ejsciant.
Integritas nostra, atque animus cœsitor honesti,
His nisi sint Zetes, his nisi sint Calais.

F O R T I T V D O.

Signa Fortium,

DIALOGISMVS.




Quæ te causa mouet uolucris Saturnia, magni
Ut tumulo insidæ ardua Aristomenis?
Hoc moneo. Quantum inter aues ego robore præsto,
Tantum Semideos inter Aristomenes.
Insidænt timidae timidorum busta columbe,
Nos aquile intrepidis signa benigna damus.

A'vex̄s nāl̄ a'wēx̄s.




Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est,
 Et nimium felix sepe timenda fuit.
 Sustine (Epictetus dicebat) & abstine. oportet
 Multa pati, illicitis absque tenere manus.
 Sic ducis imperium uinctus fert poplite taurus
 In dextro: sic se continet à grauidis.



In adulari nescientem.



Scire cupis dominos toties cur Thessalis ora
 Mutet, & ut uarios querat habere duces:
 Nescit adulari, cuique inue obtrudere palpum,
 Regia quem morem principis omnis habet.
 Sed ueluti ingenuus sonipes, dorso excutit omnem,
 Qui moderari ipsum nesciat Hippocomon.
 Nec seuire tamen domino fas ultio sola est,
 Dura scerum ut iubcat ferre lupata magis.




Obdurandum aduersus
vrgentia.



Nititur in pondus palma: & consurgit in arcum,
Quo magis & premitur: hoc mage tollit onus.
Fert & odoratas bellaria dulcia glandes,
Quæs mensas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige, mentis
Qui constantis erit: præmia digna feret.

C O N C O R D I A .

Concordia Symbolum.




Corniculum mira inter se concordia uite est,
Inq[ue] uicem nunquam contaminata fides.
Hinc auolucres hec sceptralia gerunt, q[ui] scilicet omnes
Consensu populi stantque, caduntque duces:
Quem si de medio tollas, discordia preceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

Concordia.




In bellum ciuile duces cūm Roma pararet,
Viribus ex caderet Martia terra suis:
Mos fuit in partes turmis coēuntibus easdem,
Coniunctas dextras mutua dona dāri.
Fœderis hæc species, id habet Concordia signum,
Vt quos iungit amor:iungat & ipsa manus.

Concordia insupe-
rabilis.



Tergeminus inter fuerat concordia fratres.

Tanta simul pietas mutua, et unus amor:
Inuicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.



Vnum nihil, duos pluri-
mum posse.




Laerte genitum, genitum quoque Tydeos una
Hac cera expresit Zenalis apta manus.
Viribus hic prestat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti ueniant, uictoria certa est.
Solam mens hominem, dextra ue destituit.



Firmissima conuelli
non posse.




Oceanus quamvis fluctus pater excitet omnes:
Danubiumq; omnem barbare Turca bibas.
Non tamen irrumpes per fracto limite: Cæsar
Dum Charlus populis bellica signa dabit,
Sic sacre quercus firmis radicibus astant,
Sicca licet uenti concutiant folia.



S P E S.

Spes proxima.



Innumeris agitur respiib. nostra procellis,
 Et spes uenture sola salutis adest:
 Non secus ac nauis medio circum æquore uenti
 Quam rapiunt: salsis i. unque fatiscit aquis.
 Quòd si Hellen. adueniant lucentia sydera fratres:
 Amisso animos spes bona restituit.



In simulachrum Spei.

DIALOGISMVS.



Quæ Dæ tam letō suspectans sydera uultus?

Cuius peniculis redditæ imago fuit?

Elpidij fecere manus. Ego nominor illa,

Quæ misericr̄is prōptam Spes bona pr̄estat opē.

Cur uiridis tibi palla? Quod omnia me duce uernet.

Quid manibus mortis teli refracta geris?



Quòd uiuos sperare decet, precido sepultis.
 Cur in dolioli tegmine pigra sedes?
 Sola domi mansi uolitantibus undique noxis,
 Ascrei ut docuit musa uerenda senis.
 Que tibi adest uolucris? Cornix fidissimus osecuri,
 Est bene cum nequeat dicere: dicit, Erit.
 Qui comites? Bonus euentus, præcepisq; Cupido,
 Qui præeunt? Vigilum somnia uana uocant.
 Que tibi iuncta astat? Scelerū Rhamnusia uindex,
 Seilicet ut spores nil nisi quod licet.

In dies meliora.

Rostrano uo mihi setigeri suis obtulit anno,
 H.ecq; cliens uentri xenia (dixit) habe.
 Progreditur semper, nec retro respicit unquam,
 Gramina cum pando proruit ore uorax.
 Cura uiris eadem est, ne spes sublapsa retrorsum
 Cedat: & ut melius sit, quod & ulterius.



Illicitum non sperandum.



Spes simul, & Necessis nostris altaribus adsunt,
Scilicet ut speris non nisi quod liccat.




VITIA.

PERFIDIA.

In victoriam dolo partam.



Aiacis tumulum lachrymis ego perluo uirtus.
- Heu misera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc restabat adhuc, ut iudice Græco
Vincerer: & causa stet potiore dolus.;



In fraudulentos.

Parua lacerta, atris stellatus corpora guttis
 Stellio, qui latebras, ex caua busta colit,
 Inuidie, prauique dolis fert symbola pictus.
 Heu nimium nuribus cognita zelotypis.
 Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,
 Sit quibus immersus Stellio, uina bibat.
 Hinc uindicta frequens decepta pellice uino,
 Quam forme amiso flore relinquit amans.

Dolus in suos.

Altilis allectator anas, ex cerula pennis
 Adsueta ad dominos ire redire suos.
 Congeneres cernens uolitare per aera turmas
 Garrit: in illarum se recipitque gregem,
 Prætensa incautas donec sub retia ducat.
 Obstrepitant capte, conscia at ipsa silet.
 Persida cognato se sanguine polluit ales,
 Officiosa alijs, exitiosa suis.

Maledicentia.

Archilochi tumulo insculptis de marmore uestris
 Esse ferunt, lingue certa sigilla male.

In receptatores sicariorum.



Latronum furūmque manus tibi Scæua per urbem
 It comes: & diris cincta cohors gladijs.
 Atque ita te mentis generosum prodige censes,
 Quòd tua compluress allicit olla malos.
 En nouus Aetæon: qui postquam cornua sumpfit,
 In predam canibus se dedit ipse suis.

In adulatores.



Semper hiat, semper tenuem qua uescitur auram,
Reciprocat Chamæleon,
Et mutat faciem, uarios sumitq; colores,
Præter rubrum, uel candidum:
Sic & Adulator populari uescitur aura,
Hiansq; cuncta deuorat.
Et solum mores imitatur principis atros,
Albi, & pudici nescius.

Ei qui semel sua prodegerit, aliena
credi non oportere.



Colchidos in gremio uidum quid congeris? cheu
Nescia cur pullos tam malè credis avis.
Dira parens Medea suos scuissimatos
Perdidit, & speras parcat ut illa tuis?



S T V L T I T I A.

Temeritas.

In præceps rapitur, frustra quoque tendit habenas
Auriga; effraxi quem uehit oris equus.
Haud facile huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temerè proprio ducitur arbitrio.

Furor, & rabies.

Ora gerit clypeus rabiosi piæta leonis,
Et scriptum in summo margine carmen habet:
Hic hominum est terror, cuius possessor Atrida
Talia magnanimus signa Agamemno tulit.



In temerarios.



A spicis aurigam currus Phaetonta paterni
 Igniuomos ausum flectere Solis equos.
 Maxima qui postquam terris incendia sparsit:
 Est temere in seculo lapsus ab axe miser.
 Sic plerique rotis Fortune ad sydera Reges
 Eucti: ambitio quos iuuenilis agit:
 Post magnam humani generis clademque su. inque,
 Cunctorum poenas denique dant scelerum.

In eos qui supra vires quic-
quam audent.



Dum dormit: dulci recreat dum corpora somno
Sub picea, & clauam cæteraque arma tenet,
Alciden pygm. ea manus prosternere letho
Posse putat: vires non bene docta suas.
Excitus ipse, uelut pulices, sic proterit hostem,
Et saxi implicitum pelle leonis agit.

Impossible.



Abluis Aethiopem quid frustra? ah desinc, noctis
Illustrare nigre nemo potest tenebras.



Cuculi.

Ruricolas, agreste genus, plerique cuculos
Cur uocitent, quemam prodita causa fuit?
Vere novo cantat Coccyx, quo tempore uites
Qui non absoluunt, iure notatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui thalamum prodit Vxor adulterio.

Ira.

Alceam ueteres caudam dixere Leonis,
Qua stimulante iras concipit ille graues.
Luthea cum surgit bilis, crudescit et atro
Felle dolor: furias excitat indomitas.



In eum qui sibi ipsi damnum
apparat.



Capra lupum non sponte, meo nunc ubere lacto,
Quod male pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, mea me post ubera pascet.
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Fatuitas.

Miraris nostro quod carmine diceris Otus,
 Sit uetus à proavis cum tibi nomen Otho.
 Aurita est, similes & habet cœu noctua plumas,
 Saltantemque auceps mancipat aptus aucm.
 Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus otos,
 Hoc tibi conueniens tu quoque nomen habe.

S V P E R B I A.

Superbia.

En statuae statua, & ductum de marmore marmor
 Se conferre deis ausa procax Niobe.
 Est uitium muliebre superbia, & arguit oris
 Duritiam, ac sensus, qualis inest lapidi.

Impudentia.

Pube tenus mulier, succincta latrantibus infra
 Monstrorum catulis, Scylla biformis erat.
 Monstra putantur avarities, audacia, raptus.
 At Scylla est nullus cui sit in ore pudor.

Cilævrix

Quod nimium tua forma tibi Narcisse placebat,
 In florem, & noti est uersa stuporis olus.
 Ingenij est marcor, cladésque Philautia doctos
 Quæ pessum plures dátque deditque uiros.
 Qui ueterū abic etiā methodo, noui dogmata querunt,
 Nilque suas præter tradere phantasias.

Garrulitas.

Quid matutinos Progne mihi garrula somnos
 Rumpis, & obstrepero Daulias ore canis;
 Dignus epops Tereus, qui maluit ense putare
 Quam linguam immodican stirpitus cruxere.

INVIDA.

Squallida uipera as manducans foemina carnes,
 Cuique dolent oculi, quæq; suum cor edit,
 Quam macies, & pallor habent, spinosaque gestat
 Tela manu. Talis pingitur iuvidia.

LUXVRIA.

Luxuria.

Eruca capipes redimitus tempora Faunus
 Immodica Veneris symbola certa refert.
 Est eruca salax, indeque libidinis hircus,
 Et satyri nymphas, semper amare solent.

Luxuniosorum opes.

Rupibus acrijs, summi que crepidine saxi
 Inmites fructus ficus acerba parit.
 Quos corvi comedunt, quos deuorat improba cornix,
 Qui nihil humane commoditatis habent.
 Sic fatuorum opibus parasiti, & scorta fruuntur:
 Et nulla iustos utilitate iuuant.

Tumulus meretricis.

διαλογιστικῶς.



Quis tumulus? Cuius urna? Ephyre est Laidos; ah nō
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma .illam iam carpserat ætas,
Iam speculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid sculptus sibi uult aries: quem parte leæna
Vnguis apprensum posteriore tenet?
Non aliter captos quòd et ipsa tenret amantes,
Vir gregis est aries, clune tenetur amans.

In amatores meretricum.



Villoſe indutus pifcator tegmina capræ,
Addidit ut capiti cornua bina ſuo,
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore Sargum:
In laqueos ſimi qucm gregis ardor agit.
Capra refert ſcourtum, ſimilis fit Sargus amanti,
Qui miſer obſceno captus amore perit.



Cauendum à meretricibus.


Sole satæ Circes tam magna potentia fertur,
Verterit ut multos in noua monstra viros.
Testis equum domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci postquam uina bibere sues.
Indicat illustri meretricem nomine Circe,
Et rationem animi perdere, quisquis amat.

Amuletum Veneris.

Inguina dente ferò suffossum Cypris Adonin
Lactucæ folijs condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit,
Quantum crux salax uix stimulare potest.



Inuiolabiles telo Cupidinis.



Ne dirus te uincat amor, neu fœmina mentem
 Diripiatur magicis artibus ulla tuam:
 Bacchica aus pœsto tibi motacilla paretur,
 Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
 Ore crucem & cauda, & geminis ut complicet alis,
 Tale amuletum carminis omnis crit.
 Dicitur hoc Veneris signo Pegasus Iason
 Phasiacis Iedi non potuisse dolis.

Lasciuia. Problema.

Delicias, & molliciem mus creditur albus
 Arguere, at ratio non sat aperta mihi est.
 An quod ei natura salax, & multa libido est?
 Ornat Romanas an quia pelle nurus?
 Sarmaticum murem uocitant plerique Zibellum,
 Et celebris suavi est unguine muscus Arabs.

Aduersus naturam peccantes.

Turpe quidē factu, sed & est res improba dictu,
 Excipiat si quis chœnica uenitris onus.
 Mensurā, legisque modum hoc excedere sancta est,
 Quale sit incesto pollui adulterio.

D E S I D I A.

Desidia.


Desidet in medio Eſſæus, ſpeculator & aſtra
 Subtus & accenſam contegit igne facem.
 Segnities ſpecie recti, uelata cuculo,
 Non ſe, non alios utilitate iuuat.

Desidiam abijciendam.



Quisquis iners abeat. Nam in choenice figere sedē,
Nos prohibent Samij dogmatā sancta senis.
Surge igitur: duróque manus adsuesce labori,
Det tibi dimensos crastina ut hora cibos.

In facile à virtute descientes.



Parua uelut limax spredo Remora impete uenti,
Remorūmque ratem sistere sola potest.
Sic quosdā ingenio, & uirtute ad sydera uectos,
Detinet in medio tramite causa leuis.
Auxia lis ueluti est:uel qui meretricius ardor
Egregijs iuuenes feuocat à studijs.

Ignaui.

Ignaui ardeolam stellarem effingere serui
 Et studia, & mores, fabula prisca fuit.
 Quae famulum Asteria uolucris sumpsiisse figuram:
 Est commenta: fides sit penes historicos.
 Degener hic ueluti qui cœuet in aëre falco est
 Dictus ab antiquis uatibus ardelio.

A . V A R I T I A

Auaritia.

Heu miser in medijs sitiens stat Tantalis undis,
 Et poma esuriens proxima habere nequit.
 Nomine mutato de te id dicetur: auare,
 Qui, quasi non habeas, non frueris quod habes.




In auaros.



Septitus populos inter ditissimus omnes,
 Arua senex nullus quo magis amplatenet.
 Defraudans geniumque suum, mensisque paratas,
 Nil praeter betas, duraque rapa uorat.
 Cui similem dicam hunc, inope quem copia reddit?
 An' ne asino? Sic est: instar hic eius habet.
 Nanque asinus dorso pretiosa opsonia gestat.
 Seque rubo, aut dura carice pauper alit.




In aulicos.



Vana Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.





In fordidos.

Quae rostro (clystere uelut) sibi proluit aluum
 Ibis, Niliacis cognita littoribus,
 Transijt opprobrij in nomen quo Publius hostem
 Naso suum appellat, Battia desque suum.

In diuites publico malo.

Anguillas quisquis captat, si limpida uerrat
 Flumina, si illimes ausit adire lacus,
 Cassus erit, ludetque operam multum excitet ergo
 Si creta, & uitreas palmula turbet aquas:
 Diues erit. Sic ijs res publica turbida lucro est,
 Qui pace, arctati legibus, esuriunt.



In auaros, vel quibus melior
conditio ab extraneis
offertur.



Delphini insidens uada cœrula sulcat Arion,
Hocque lures mulcet, frænat & ora sono.
Quam sit auari hominis, nō tā mēs dira ferarū est,
Quique uiris rapimur, piscibus eripimur.

G V L A.




Curculione gruis tumida uir pingitur aluo,
Qui Larū, aut manibus gestet Onocrotalum.
Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,
Et gula quos celebres deliciosa facit.

Ocni effigies. De his qui meretri-
cibus donant: quod in bonos
vſus verti debeat.



Impiger haud cessat funem contexere ſparto,
Humidique artifici iungere fila manu.
Sed quantum multis uix torquet strenuus horis,
Protinus ignauī uentris aſcella uorat.
Fœmina iners animal, facili congeſta marito
Lucra rapit: mundum prodigit inq; ſuum.

In parasitos.



Quos tibi donamus, fluviales accipe cancros,
 Munera conueniunt moribus ista tuis.
 His oculi uigiles, & forfice plurimus ordo
 Chelarum armatus, maximaque alius adestr.
 Sic tibi propensus stat pingni abdomen uenter,
 Pernicесque pedes, spiculaque apta pedi.
 Cum uagus in triujs, menseq; sedilibus erras,
 Inq; alios mordax scommata salsa iacis.



Paruam culinam, duobus
ganeonibus non
sufficere.




*In modicis nihil est quod quis lucretur: & unum
Arbustum geminos non alit Erythacos.*

A L I V D,
*In tenui spes null a lucri est: unoq; residunt
Arbusto; gemine non bene Ficedule.*



Captiuus ob gulam.



Regnator penoris, mense & corrosor herilis
Ostrea mus summis uidit hiulca labris.
Quis tenera apponet barba falsa ossa momordit,
Ast ea clauserunt tacta repente domum.
Deprensum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obscurum qui dederat tumulum.

In garrulum & gulosum.

Voce boat torua, pralargo est gutture, rostrum
Instar habet nasi multiforisque tube.
Deformem rabulam, addictum uentriique gulæq;
Signabit, uolucer cum truo pictus erit.

N A T V R A.

Vis naturæ.

Pana colunt gentes, (naturam hoc dicere rerū est)
Semicaprumque hominem, semiuirumque Deū.
Vir tenus umblico est, hominū q. propria uirtus.
Corde oriens, celsa uerticis arce sedet.
Hinc caper est, quia nos natura in secla propagat
Concubitu: ut uolucres, squamca, bruta, feras.
Quod commune alijs animantibus, est caper index
Luxurie, Veneris signaque aperta gerit.
Cordi alij sophian, alij tribuere cerebro.
Inferiora modus, nec ratio ulla tenet.

Ars Naturam adiuuans.

Vt Fortuna pile, cubo sic insidet Hermes:
Artibus hic, varijs casibus illa pr.eest.
Aduersus uim Fortune est ars facta, sed artis
Cum Fortuna mala est, sepe requirit opem.
Disce bonas artes igitur studiosa iuuentus,
Quæ certæ secum commoda fortis habent.



In iuuentam.

Natus uterque Iouis tener, atque imberbis uterq;,
 Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
 Salucte, æterna simul & florete iuuenta,
 Numine sit uestro quæ diuturna mihi.
 Tu uino curas, tu uictu dilue morbos,
 Ut lento accedat sera senecta pede.

A S T R O L O G I A.

Scyphus Nestoris.

Nestoreum geminis cratera hunc accipe fundis,
 Quod grauis argenti massa profudit opus.
 Clauiculi ex auro: stant circum quattuor ansæ:
 Vnam quanque super fulua columba sedet.
 Solus eum potuit longæus tollere Nestor.
 Meonide doceas quid sibi musa uelit?
 Est cœlum scyphus ipse. color argenteus illi est:
 Aurea sunt cœli sidera clauiculi.
 Pleiadas esse putant, quas dixerit ille columbas.
 Vmblici gemini, magna minórque fera est.
 Hec Nestor longo sapiens intelligit usu,
 Bella gerunt fortes, callidus astra tenet.

Quæ supra nos, nihil ad nos.



Caucasia æternum pendens in rupe Prometheus
Diripitur sacri præpetis ungue iecur.
Et nollet fecisse hominem:figulösque perosus
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur uarijs prudentum pectora curis,
Qui cœli affectant scire, deumque uices.

In astrologos.



Icare per superos qui raptus & aīra, donec
In mare pr.ecipitem cera liquata daret.
Nunc te cera eadem , feruēnsque exuscitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caueat quicquam prædicere. pr.eceps:
Nam cadet impostor , dum super astra uolat.

Qui alta contemplantur
cadere.



Dum turdos uisco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit harundo gruem,
Dipsada non prudens auceps pede perculit: ultrix
Illa mali, emissum uirus ab ore iacit.
Sic obit extento qui sydera respicit arcu,
Securus fati quod iacet ante pedes.



A M O R.

Potentissimus affectus amor.



Aspice ut invictus uires auriga leonis,
 Expressus gemma pusio uincat amor,
 Utq; manu hac scuticā tenet, hac ut flectit habenas,
 Utq; est in pueri plurimus ore decor.
 Dira lues procul esto: feram qui uincere talem
 Est potis: à nobis temperet an'c manus?



Potentia amoris.




Nudus Amor uiden' ut ridet, placidumque tuetur?
Nec faculas, nec que cornua fletat habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera piseem,
Seilicet ut terræ iura det atque mari. .

Vis amoris.



Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat uti est fortior ignis amor.



In studiosum captum
Amore.



*Immersus studijs, dicundo & iure peritus,
Et maximus libellio,
Heliodoran amat, quantum nec Thracius unquam
Princeps sororis pellicem.
Pallada cur alio superasti iudice Cypri?
Num sat sub Ida est uincere?*

Αντέρες, id est, amor virtutis.

Διαλογισικῶς.



Dic ubi sunt incurui arcus? ubi tela Cupido?

Molia quēis iuuenum figere corda soles?

Fax ubi tristis? ubi pennae? tres unde corollas

Fert manus? unde aliam tempora cincta gerunt?

Haud mihi uulgari est, (hostes) cū Cypride quicquā

Vlla uoluptatis nos neque forma tulit,

Sed puris hominum succendo mentibus ignes

Discipline: animos astrāque ad alta traho.

Quattuor eq̄; ipsa texo uirtute corollas,

Quarum quæ Sophiæ est, tempora prima tegit.

Artigas, Amor virtutis, alium
Cupidinem superans.



Aligerum, aligeroque inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemesis.
Vt que alijs fecit patiatur. at hic puer olim
Intrepidus gestans tela, miser lachrymat.
Ter spuit: inq; sinus imos(rcs mira) crematur
Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

Dulcia quandoque amara
fieri.



Matre procul licet paulum secesserat infans
Lydius: hunc dire sed rapuistis apes.
Venerat hic ad uos placidas ratus esse uolucres,
Cum nec ita immitis uipera seu foret.
Quae datis ab dulci stimulus pro munere mellis.
Proh dolor, Heu sine te gratia nulla datur.


Ferè simile ex Theocrito.



Alueolis dum mella legit: percussit Amorem
Furacem mala apes, & summis spicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius ungue.
Et quatit errabundus humum: Venerique dolorem
Indicat: & grauiter queritur, quod apicula paruum
Ipsa inferre animal tam noxia uulnera possit.
Cui ridens Venus, Hanc imitaris tu quoque dixit
Nate feram, qui das tot noxia, uulnera paruus.



In statuam Amoris.



Quis sit Amor, plures olim cecinere Poëtæ,
 Eius qui uario nomine gesta ferunt.
 Conuenit hoc, q[uod] ueste caret, quod corpore paruuus.
 Tela, alisque ferens, lumina nulla tinet.
 Hæc ora, hic habitusque Dei est. Sed dicere tantos
 Si licet in uates, falsa subesse recor.
 Ecce nudus agat diu quasi pallia desint,
 Qui cunctas domiti possidet orbis opes.



Aut qui queso niues boreāmque euadere nudus?
Alpinum potuit, strictaque prata gelus?
Si puer est, puerum ne uocas qui Nestora uincit?
An nosti Ascrei carmina docta senis?
Inconstans puer, hic peruicax, pectora quæ iam
Trans adiit, nunquam linquere sponte potest.
At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dura ualet?
Alas cur'ue tenet, quas nescit in æthera ferre?
Inscius in uolucrum flectere tela iecur.
Serpit humi sempérque virūm mortalia corda
Lædit: & haud alas saxeus inde mouet.
Si cæcus, uittāmque gerit, quid tænia cæco
Utilis est? ideo num minus illæ uidet?
Quis'ue sagittiferum credat, qui lumine captus?
Hic certa, ast cæci spicula uana mouet.
Igneus est aiunt, uersatq; in pectore flammas:
Cur age uiuit adhuc? omnia flamma uorat.
Quinetiam tumidis cur non extinguitur undis,
Naiadum quoties mollia corda subit?
At tu ne tantis capiare erroribus audi,
Verus quid sit Amor carmina nostra ferent.
Iucundus labor est, lasciuia per ocia, signum
Illiis est, nigro punica glans clypeo.

In obliuionem patriæ.



Iam dudum missa patria, oblitisque tuorum,
 Quos tibi ceu sanguis, siue parauit amor,
 Roman habitas: nec cura domū subit ulla reuerti.
 Aeterne tantum te capit urbis honos.
 Sic Ithacum præmissa manus dulcedine Loti
 Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.

Sirenes.

Absque alis uolucres, & cruribus absque puellas,
 Rostro absque & pisces, qui tamen ore canant,
 Quis putet esse ullos? iungit h.ec natura negavit
 Sirenes fieri sed potuisse docent.
 Illicium est mulier, que in piscem desinit atrum,
 Plurima quod secum monstra libido uchit.
 Aspectu, uerbis, animi candore, trahuntur,
 Parthenope, Ligia, Leucosia, que uiri.
 Has muse explumant: has atque illudit Ulysses.
 Scilicet est doctis cum meretrice nihil.


Senex puellam amans.

Dum Sophocles (quamuis affecta etate) puellam
 A' questu Archippen ad sua uota trahit,
 Allicit & pretio, tulit egrè insana iuuentus
 Ob zelum, & tali carmine utrumque notat.
 Noctua ut in tumulis, super utq; cadauera bubo,
 Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.




In colores.

Index mœsticie est pullus color. utimur omnes
 Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.
 At sinceri animi, & mentis stola candida pure.
 Hinc syndon sacris linea grata uiris:
 Nos sperare docet uiridis. Spes dicitur esse
 In uiridi, quoties irrita retro cadit.
 Est cupidis flavius color, est & amantibus aptus,
 Et scortis, & quæs spes sua certa fuit.
 At ruber armatos equites exornet amictus,
 Indicet & pueros erubuisse pudor.
 Cœruleus nautas, & qui cœlestia uates
 Attoniti nimia religione petunt.
 Vilia sunt giluis natuâque uellera birris,
 Qualia lignipedes stragula habere solent.
 Quem curæ ingentes cruciant, uel zelus amoris
 Creditur hic fulua non male ueste tegi.
 Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet
 Fortune æquanimis tædia quique ferat.
 Ut uaria est natura coloribus in gignendis,
 sic alijs aliud. Sed sua, cuique placent.



FORTVNA

Virtuti, Fortuna comes.



Angubus implicitis, geminis caduccus alis,
 Inter Amalthee cornua rectus adest.
 Pollentes sic mente viros, fandiique peritos
 Indicat, ut rerum copia multa beet.

Fortuna, Virtutem superans.



Cæsareo postquam superatus milite, uidit
Ciuii undantem sanguine Pharsaliam:
Iamiam stricturus moribunda in' pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore sonos:
Infelix Virtus & solis prouida uerbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Paupertatem summis ingenijs
obesse ne prouehantur.



Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,
Ut me pluma leuat: sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas uolitare per arces,
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

In Occasionem.

Διαλογίσκως,



Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria: Tu quiss?
Cuncta donans capti temporis articulus.
Cur pannis stas? usque rotor. Talaria plantis
Cur retines? Paßim me leuis aura rapit.
In dextra est tenuis dic unde nouacula? Acutum
Omni acie hoc signum me magis esse docet.
Cur in fronte coma? Occurrēs ut prendar. At heus tu
Dic cur pars calua est posterior capitisi?
Me semel alipedem si quis permittat abire,
Ne possum apprenso postmodò crine capi.
Tali opifex nos arte, tui causa, edidit hospes,
Vtq; omnes moneam: pergula aperta tenet.

In subitum terrorem.



Effuso cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.



In illaudata laudantes.



Ingentes Galatūm semermi milite turmas,
Spem præter trepidus fuderat Antiochus,
Lucarum cùm seua boum uis, dira proboscis,
Tum primum hostiles corripuissest equos.
Ergo tropheā locans Elephantis imagine pinxit,
Insuper ex socijs occideramus ait,
Bellua seruasset nī nos fecidissima barrus.
Vt superasse iuuat: sic superasse pudet.

In momentaneam felicitatem.



Acriam propter creuisse Cucurbita pinum
Dicitur: & grandi luxuriasse coma.
Cum ramos complexa, ipsumq; egressa cacumen,
Se præstare alijs credit arboribus.
Cui pinus: Nimium breuis est hæc gloria.nam te
Protinus adueniet quæ malè perdet hyems.

Ex damno alterius, alterius vtilitas.

Dum seuis ruerent in mutua uulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper,
Accurrit uultur spe etatum, & prandia captat.
Gloria uictoris, præda futura sua est.

Bonis auspicijs incipiendum.

Auspicijs res cœpta malis, bene cedere nescit.
Felici quæ sunt omnia facta, iuuant.

Quicquid agis, mustella tibi si occurrat, omitte:
Signa malæ hæc fortis bestia praua gerit.

Nil reliqui.

Scilicet hoc de erat, post tot mala denique nostris
Locuste ut raperent, quicquid inesset, agris.
Vidimus innumeras euro duce tendere turmas,
Qualia non Atyle, castra' ue Xerxis erant.
Hæ fœnum, milium, corda omnia consumpserunt,
Spes & in angusto est, stant nisi uota super.

Malè parta, malè dilabuntur.

Miluus edax, nimia quem nausea torserat escæ,
Hei mihi mater ait uiscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua uiscera credas,
Qui rapto uiuens sola aliena uomis?

Semper presto esse infortunia.



Ludebant parili tres olim ætate puellæ
 Sortibus: ad Stygias quæ prior iret aquas.
 Ast cui iactato malè cesserat alea talo,
 Ridebat sortis cæca puella sue.
 Cum subito icta caput labente est mortua tecto,
 Soluit & audacis debita fata ioci.
 Rebus in aduersis mala sors non fallitur: ast in
 Faustis, nec precibus, nec locus est manui.





Remedia in arduo, mala
in prono esse.



Aetherijs postquam deiecit sedibus Aten
Iuppiter: Heu uexat quam mala noxa uiros?
Euolat hæc pedibus celer, & pernicibus alis,
Intactumque nihil casibus esse sinit.
Ergo Lite proles Iouis hanc comitantur cunctem,
Sarturæ quicquid fecerit illa mali.
Sed quia segnipes, strabæ, lassæq; senecta,
Nil nisi post longo tempore restituunt.



HONOR.

Ex arduis perpetuum nomen.




Crediderat platani ramis sua pignora passer,
Et bene:ni seuo uisa dracone forent.
Glutijt hic pullos omnes, miserámque parétem
Saxcus, & tali dignus obire nece.
H.ec, niſi mentitur Calchas, monumenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis cat.

Ex literarum studijs immor-
talitatem acquiri.




Neptuni tubicen, cuius pars ultima cetum,
Aequoreum facies indicat esse Deum:
Serpentis medio Triton comprehenditur orbe,
Qui caudam inserto mordicus ore tenet.
Fama viros animo insignes præclaraque gesta
Prosequitur: toto mandat & orbe legi.



Tumulus Ioannis Galeacij Vice-comitis primi Ducis Mediol.



Pro tumulo pone Italiam, pone arma, Ducesq;;
 Et mare, quod geminos mugit adusque sinus.
 Adde his barbariem conantem irrumpere frustra,
 Et mercede emptas in fera bella manus.
 Anguiger ast summo sistens in culmine, dicat:
 Quis paruis magnam me super imposuit?






Optimus ciuis.



Dum iustis patriam Thrasybulus vindicat armis,
Dumque similitates ponere quemque iubet,
Concors ordo omnis magni instar muneris, illi
Palladie sertum frondis habere dedit.
Cinge comā Thrasybulc, geras hunc solus honorē,
In magna nemo est æmulus urbe tibi.



Strenuorum immortale
nomen.

Acacide tumulum Rhœtæo in littore cernis,
Quem plerunque pedes uisitat alba Thetis.
Obtegitur semper uiridi lapis hic amarantho,
Quod nunquam herois sit moriturus honos.
Hic Graiū murus.magni nex Hectoris haud plus
Debet Mæonidæ,quam sibi Mæonides.

Nobiles & generosi.

Aurea Cæcropias necbat fibula uestes:
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit.
Calceus Arcadico suberat cui linula ritu,
Gestatur patribus mullea Romulidis.
Indigenas quod se adsererent:hæc signa tulerunt
Antiqua illustres nobilitate uiri.



Duodecim certamina Herculis.

αλκυορικῶς

Roboris inuicti superat facundia laudes.
 Dicta Sophistarum laqucosq; resoluit inanes.
 Non furor, aut rabies: uirtute potentior ulla est.
 Continuum ob cursum sapienti opulentia cedit.
 Spernit cuaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet.
 Vincit, fœmineos spoliatque insignibus actus.
 Expurgat sordes, & cultum mentibus addit.
 Illicitos odit coitus, abigitque nocentes.
 Barbaries, feritásque dat impia denique pœnam.
 Vnius uirtus collectos dissipat hostes.
 Inuehit in patriā externis bona plurima ab oris.
 Docta per ora uirū uolat, & non interit unquā.

In nothos.

Herculeos spurij semper celebretis honores:
 Nam uestri princeps ordinis ille fuit.
 Nec prius esse deus potuit, quam sugeret infans
 Lac, sibi quod fraudis nescia Iuno dabat.

Imparilitas.

Vt sublime uolans tenuem secat æra falco,
 Ut pascuntur humi graculus, anser, anas:
 Sic summū scandit super æthera Pindaris ingēs,
 Sic scit humi tantum serpere Bacohilydes,


In desciscentes.

Quod fine egregios turpi maculaueris orfas,
 In noximque tuum uerteris officium,
 Fecisti, quod capra, sui multraria laetis
 Cum ferit, & proprias calce profundit opes.



Aemulatio impar.

Altiuolam miluis comitatur degener harpam,
 Et prede partem sepe cadentis habet.
 Nullum prosequitur qui spretas sargus ab illo,
 Preteritisque avidus deuorat ore dapes.
 Sic mecum Oenocrates agit: at deserta studentum
 Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.




Albutij ad Alciatum, suadentis ut
de tumultibus Italicis se
subducatur: & in Gallia
profiteatur.



Quæ dedit hos fructus arbor, cœlo aduena nostro,
Venit ab Eoo Persidis axe prius:
Translatu facta est melior: quæ noxia quondam
In patria: hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium lingue: fert poma simillima cordi,
Alciate hinc uitam degere disce tuam.
Tu procul à patria in pretio es maiore futurus,
Multum corde sapis, nec minus ore uales.

P R I N C E P S.

Princeps subditorum incolumentem procurans.



Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miscros nautas anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin cōpletebitur: imis
Tutius ut poscit figier illa uadis.
Quam decet hæc memores gestare insignia Reges?
Anchora quod nautis se populo esse suo?

In Senatum boni principis.

DIALOGISMVS.



Effigies manibus truncæ ante altaria Diuum

Hic resident: quarum lumine capta prior.

Signa Potestatis summae, Sancti q; Senatus.

Thebanis fuerant ista reperta uiris.

Cur resident? Quia mente graues decet esse quieta

Iuridicos: animo nec uariare leui.

Cur sine sunt manibus? Capiant ne xenia: nec se

Pollicitis flecti muncribus' ne finant.

Cæcus at est princeps. Quòd solis auribus, absque

Affectu, constans iussa Senatus agit.

Quod non capit Christus,
rapit fiscus.



Exprimit humentes quas iam madefecerat antè
Spongiolas, cupidi Principis arcta manus.
Prouchit ad summum fures: quos deinde coērcet,
Vertat ut in fiscum quæ malè parta suam.

Consiliarij Principum.

Herorum genitos, & magnum fertur Achillem
In stabulis Chiron erudisse suis.
Semiferum doctorem, & semiuirum centaurum,
Aſſideat quisquis regibus, eſſe docet.
Est fera, dum uiolat socios, dum proterit hostes:
Estq; homo, dum ſimulat ſe populo eſſe pium.

Principis clementia.

Vesperum quod nulla unquam Rex ſpicula figet,
Quodq; alijs duplo corpore maiori erit.
Arguet imperium clemens, moderataq; regna,
Sanctaque iudicibus credita iura bonis.

R E S P V B L I C A.

Salus publica.

Phœbigena erectis Epidaurius infidet aris,
Mitis & immanni conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, ueniātque ſalutifer orant:
Amuit, atque ratas efficit ille preces.

Respublica liberata.

Cæſaris exitio ceu libertate recepta,
Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit,
Enſiculi in primis, quæſi pileus insuper adſtat,
Qualem missa manu feruitia accipiunt.


V I T A.

In vitam humanam.



Plus solito humane nunc desle incommoda uite,
Heraclite: scatet pluribus illa malis.
Tu rursus (si quando aliâs) extolle cachinnum
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Interea hec cernens meditor, qua denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo splene iocer.

Aére quandoque salutem
redimendam.



Et pedibus segnis, tumida & propendulus aluo,
Hac tamen insidias effugit arte fiber.
Mordicus ipse sibi medicata uirilia uellit
Atque abicit, se se gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et uitam ut redimas, hostibus ora dare.

M O R S.

Cum laruis non luctandum.



Æacide moriens percussu cuspidis Hector,
 Qui toties hostes uicerat autè suos:
 Comprimere haud potuit uocē insultantibus illis:
 Dum curru, & pedibus nectere uincula parant.
 Distrahite ut libitum est, sic cassi luce leonis
 Conuellunt barbam uel timidi lepores.

De Morte,& Amore.



Errabat socio Mors iuncta Cupidine. secum
 Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
 Diuertere simul, simul una & nocte cubarunt,
 Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
 Alter enim alterius malè prouida spicula sumpxit:
 Mors aurata, tenet ossea tela puer.
 Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esset:
 Ecce amat, & capiti florea serta parat.
 Ast ego mutato quia Amor me perculit arcu,
 Deficio: iniiciunt & mihi fata manum.
 Parce puer, Mors signa tenens uictoria parce.
 Fac ego amem: subeat fac Acheronta senex.

In formosam fato præceptam.



Cur puerum Mors ausa dolis es carpere Amorem?
Tela tua ut iaceret: dum propria esse putat.



In mortem præproperam.



Qui teneras forma allexit, torſitq; puellas,
Pulchrior, & tota nobilis urbe puer,
Occidit ante diem nulli mage flendus (Aresti)
Quam tibi, cui casto iunctus amore fuit.
Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris
Astruis: & quicrulis uocibus astra feris.
Me sine abis dilecte? neque amplius ibimus una?
Nec mecum in studijs ocia grata teres?
Sed te terra teget, sed fati, Gorgonis ora,
Delphinesq;, tui signa dolenda dabunt.



Terminus.

*Quadratum infoditur firmissima tessera saxum,
 Stat cirrata super pectore imago tenus,
 Et se se nulli profitetur cedere, talis
 Terminus est, homines qui scopus unus agit.
 Est immota dies, præfixaque tempora fatis,
 Deq; ferunt primis ultima iudicium..*



Opulenti hæreditas.

*Patroclum falsis rapiunt hinc Troës in armis,
 Hinc socij, atque omnis turba Pelasga uetat.
 Obtinet exuicias Hector, Gracique cadauer,
 Hec fabella agitur, cum uir opimus obit.
 Maxima rixa oritur, tandem sed transigit hæres,
 Et coruis aliquid, uulturijsq; sinit.*

A M I C I T I A.

Amicitia etiam post mortem
durans.



Arentem senio, nudam quoque frondibus ulnum,
Complexa est uiridi uitis opaca coma.
Agnoicitq; uices naturae: & grata parenti
Officij reddit mutua iura suo.
Exemplaq; monet, tales nos querere amicos,
Quos neque disiungat feedere summa dics.


Mutuum auxilium.



Loripedem sublatū humeris fert lumine captus:
Et socij hec oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors sic prestat uterq;
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.



Auxilium nunquam
deficiens.



Bina pericla unis effugi sedulus armis.
Cum premererq; solo, cum premererq; salo,
Incolumem ex acie clypeus me præstítit. idem
Naufragum apprensus littora adusque tulit.

Gratiæ.



Tres Charites Veneri assistunt, dominamq; sequuntur.
 Hincque uoluptates, atque alimenta parant.
 Lætitiam Euphrosyne, speciosum Aglaia nitorem,
 Suadela est Pithus, blandus & ore lepos.
 Cur nudus: mentis quoniam candore uenustas
 . Constat: & eximia simplicitate placet.
 An quia nil referunt ingrati: atque arcula inanis,
 Est Charitum: qui dat munera, nudus eget.
 Addita cur nuper pedibus talaria: bis dat
 Qui citò dat, minimi gratia tarda pretij est.

impliciis

Implicitis ulnis cur uertitur altera? gratus
 Fœnerat huic remanent una abeunte due.
 Iuppiter ijs genitor, cœli de semine diuas
 Omibus acceptas edidit Eurynome.



HOSTILITAS.

In detractores.

Audent flagriferi matule, stupidique magistri
 Bilem in me impuri pectoris cuomere:
 Quid faciam? reddam' ne uices? sed non' ne cicadam?
 Ala una obstreperam corripuisse ferar?
 Quid prodest muscas operosis pellere flabris?
 Negligere est satius, perdere quod nequeas.

Inanis impetus.

Lunarem noctu (ut speculū) canis inspicit orbem:
 Séque uidens, alium credit inesse canem,
 Et latrat: sed frustra agitur uox irrita uentis,
 Et peragit cursus surda Diana suos.

Aliquid mali, propter vicinum
malum.

Προσωπωταια.



Rapt. bat torrens ollas. quarum una metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa: uelit sibi proxima ferri.
Iuncta ut precipites ultraque fist. at aquas.
Cui lutea, Haud nobis tua sunt commercia cure,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam seu te nobis, seu nos tibi conferat unda:
Ipsa ego te fragilis hospite sola terar.




In eum qui truculentia suo-
rum perierit.

PROSOPAPEIA.



Delphinem inuitum me in littora compulit aestus,
Exemplum infido quanta pericla mari.
Nam si nec proprijs Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus esse putet?



Εχθρῶν ἀδελφῶν δώρα, In dona
hostium.



Bellorum cœpisse ferunt monumenta uiciſſim
Scutiferum Aiacem, Hectoraque Iliacum.
Balthea Priamides, rigidum Telamonius ensem,
Instrumenta ſuę cœpit uterque necis.
Ensis enim Aiacem conſecit, at Hectora functum
Traxere Aemonijs cingula nexa rotis.
Sic titulo obsequij que mittunt hostibus hostes
Munera: uenturi præſcia fata ferunt.

A minimis quoque timendum.



Bella gerit Scarabeus, & hostem prouocat ultrò,
Robore & inferior, consilio superat.
Nam plumis aquile clīm se neque cognitus abdi.
Hostilem ut nidum summa per astra petat.
Ouāque confodiens, prohibet spem crescere prolis.
Hōcque modo illatum dedecus ultus abit.

V I N D I C T A .

Iusta vindicta.



Dum residet Cyclops sinuosi in faucibus antri,
 Hac secum teneras concinit inter oves.
 Pascite uos herbas.socijs ego pascar Achiuis,
 Postremumque Utin uiscera nostra ferent.
 Audijt huc Itachus.Cyclopaque lumine cassum
 Reddidit. En pœnas ut suus autor habet?

Iusta vltio.



Raptabat uolucres captum pede coruus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gule.
Ast ille infuso sensim per membra ueneno,
Raptorem in stygias compulit ultiq[ue] aquas.
O risu res digna, alijs qui fata parabat,
Ipse perit: proprijs succubuitque dolis.

Parem delinquentis,& suasoris
culpam esse.



Præconem lituo perflantem clæsica, uictrix
Captiuum in tetro carcere turma tenet.
Quæs ille excusat:quòd nec sit strenuus armis,
Vlliis aut seu leserit ense latus.
Huic illi: Quin ipse magis timidissime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

Alius peccat, alius plectitur.



Arripit ut lapidem catulus, morsuq; fatigat,
Nec percussori mutua damna facit.
Sic plerique sinunt ueros elabier hosteis.
Et quos nulla grauat noxia:dente petunt.

Insani gladius.



Setigeri mediis stabat gregis ensifer Ajax,
Cede suum credens cedere Tantalidias.
Hostia sic tanquam sus succedanca poenas
Pro Laertiade, pro caueaque dabat.
Nescit obesse suis furor hostibus, errat ab ictu,
Consiliique impos in sua damna ruit.

PAX.



Turrigeris humeris, dentis quoque barrus eburni,
 Qui superare ferox Martia bella solet,
 Supposuit nunc colla iugo: stimulisque subactus,
 Cesareos currus ad pia templa uehit.
 Vel fera cognoscit concordes undique gentes.
 Proiectisque armis munia pacis obit.

Ex bello pax.




En galea intrepidus quam miles gesserat: & que
Sepius hostili sparsa cruore fuit.
Parta pace apibus tenuis conceſſit in uſum
Alucoli: atque fauor grataque mella gerit.
Arma procul iacent, fas sit tunc sumere bellū:
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Ex pace vbertas.



Grandibus ex spicis tenues contexe corollas,
 Quas circum alterno palmito uitis eat.
 His cōpte Hcelciones trāquilli in marmoris unda
 Nidificant: pullos inuolucrēsque fouent.
 Letus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
 Aequorci si rex alitis instar erit.

Doctos doctis obloqui
nefas esse.



Quid rapis heu Progne uocalem sexua Cicadam,
Pignoribusque tuis fercula dira paras?
Ac stridula stridulam, uernam uerna, hospita lēdis
Hospitam, et aligeram penniger ales auem?
Ergo abice hāc p̄dānā musica pectora summū est
Alterum ab alterius dente perire nefas.

Eloquentia Fortitudine præ-
stantior.



Arcum leuā tenet rigidam fert dextera clauam,
 Conteget & Nemeeis corpora nuda leo.
 Herculis hæc igitur facies? non conuenit illud
 Quòd uetus & senio tempora cana gerit.
 Quid quòd lingua illi leuibus traiecta catheris,
 Quæs fissa facileis allicit aure uiros?
 An' ne quòd Alciden lingua non robore Galli
 Præstantem, populis iura dedisse ferunt?
 Cedunt arma toge, & quamuis durissima corda
 Eloquio pollens ad sua uota trahit.

Facundia difficultis.

Antidotum Ææ medicata in pocula Circes
 Mercurium hoc Ithaco fama dedisse fuit
 Moly uocant id uix radice euellitur atra,
 Purpureus sed flos, Lactis & instar habet.
 Eloquij candor facundiæque allicet omnes,
 Sed multis res est tanta laboris opus.

Antiquissima quæque
commentitia.

A P O L O G E S I S.


Pellenæ senex, cui forma est histrica, Proteu,
 Qui modo mēbra uiri fers, modo mēbra feri,
 Dic age quæ species ratio te uertit in omnes,
 Nulla sit ut uario certa figura tibi?
 Signa uetus statis, primæ uui & præfro secli:
 De quo quisque suo somniat arbitrio.

Insignia Poëtarum.



Gentiles clypeos sunt qui in Iouis alite gestant,
Sunt quibus aut Serpens, aut Leo signa ferunt.
Dira sed hec Vatum fugiant animalia ceras,
Doctaque sustineat stemmata pulcher Olor.
Hic Phebo sacer, et nostre regionis alumnius.
Rex olim, ueteres seruat adhuc titulos.

Musicam Dijs curæ esse.



Locrensis posuit tibi delphice Phœbe cicadam
Eunomus hanc, palme signa decora sue.
Certabat plectro Sparthyn commissus in hostem,
Et percussa sonum pollice filabant.
Trita fides rauco cœpit cum stridere bombo,
Legitimum harmonias & uitiare melos,
Tum Citharae argutans suavis sese intulit ales,
Quæ fractam impleret uoce cicada fidem.
Quæq; allecta, soni ad legem descendit ab altis
Saltibus, ut nobis garrula ferret opem.
Ergo tue ut firmus stet bonus (ò sancte) cicade,
Pro cithara hic fidicen ænus ipsa sidet.

Litera occidit, spiritus viuificat.



Vipereos Cadmus dentes ut credidit aruis,
Seuit & Aonio semina dira solo:
Terrigenum clypeata cohors exorta uirorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.
Euascre quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraque iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notisque magistris
Tradidit, ijs suauem iunxit & harmoniam.
Quorum discipulos contraria plurima uexant,
Non nisi Palladia que dirimuntur ope.



Dicta septem sapientum.

Hec habeas: septem Sapientum effingere dicta,
 Atque a picturis qui celebrare uelis.
 Optimus in rebus modus est (Cleobulus ut inquit,) Hoc trutina examen, sive libella docet.
 Noscere se Chilon Spartanus quenque inbebatur.
 Hoc specula in manibus, utrāq; sumpta dabūt.
 Quod Periander ait, fræna adde Corinthius iræ
 Pulegium admotum naribus efficiet.
 Pittacus at ne quid (dixit) nimis. hæc eadem aiunt,
 Contracto qui gith ore liquefaciunt.
 Respxisse Solon finem iubet. ultimus agris,
 Terminus, haud magno cesserit ip[s]e Ioui.
 Heu quam uera Bias, Est copia magna malorum
 Musmoni insidieat effice sardus eques.
 Ne pres esto (Thales dixit) sic illita uisco
 In laqueos sociam parra, meropsque trahit.

IGNORANTIA.
Submouendam ignorantiam.
διαλόγυσμα.



Quod mōstrū id? Sphinx est. Cur cādida uirginis ora,
Et uolucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia: tanti
Scilicet est triplex causa & origo mali.
Sunt quos ingeniu leue, sunt quos blida uoluptas,
Sunt & quos faciunt corda superba rudes.
At, quibus est notum, quid delphica litera possit:
Præcipitis monstri guttura dira secant.
Nāq; uir ipse, bipesq; tripesq; & quadrupes idē est,
Primāq; prudentis laurea, nosse uirum.

Mentem, non formam plus
pollere.



Ingressa ulpes in Choragi pergulam,
Fabre expolitum inuenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum, ut spiritus
Solum decesset, ceteris uiuisceret.
Id illa cum sumpsisset in manus, ait:
Hoc quale caput est, sed cerebrum non habet.

Diues indoctus.



Tranat aquas residēs precioso in uellere Phrixus,
Et flauam impavidus per mare scandit ouem.
Ecquid id est: uir sensu hebeti, sed dinitate gaza,
Coniugis aut serui quem regit arbitrium.



M A T R I M O N I V M .

In fidem vxoriam.



Ecce puella, viro quæ dextra iungitur. Ecce
 Ut sedet: ut catulus lusitat ante pedes?
 Hæc fidei est species: Veneris quam si educat ardor:
 Malorum in læua non male ramus crit.
 Poma etenim Veneris sunt, sic Schemida uicit
 Hippomenes. petiit sic Galathea virum.



Reuerentiam in matrimonio
requiri.



Cum furit in Venerem: pelagi se in littore sistit.
Vipera: & ab stomacho dira uenena uomit.
Murænâmq; ciens, ingentia sibila tollit,
At subito amplexus appetit illa uiri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniunx
Alternum debet coniugi & obsequium.



In fœcunditatem sibi ipsi
damnosam.



Ludibrium pueris lapides iacentibus, hoc me
In triuio posuit rustica cura nucem.
Quæ laceris ramis perstrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpis? cheu,
Infelix: fructus in mea damna fero.

Amor filiorum.



Ante diem uernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat: præcoqua & oua fouet.
Mollius & pulli ut iaceant sibi uellicat alas,
Quæs nuda hyberno deficit ipsa gelv.
Ecquid Colchi pudet, uel te Procne improba morte
Cùm uolucris proprie prolis amore subit?

Pietas filiorum in parentes.



Per medios hosteis patriæ, cùm ferret ab igne
Aeneas humeris dulce parentis onus,
Parcite (dicebat) uobis; sene adorear apto
Nulla erit: crepto sed patre summa mihi.



Mulieris famam, non formam,
vulgatam esse oportere.

DIALOGISMVS.



Alma Venus quenam hæc facies, quid denotat illa
Testudo, molli quam pede diuina premis?
Me sic effuxit Phidias, sexumq; referri
Fœminicum, nostra iubit ab effigie.
Quodq; manere domi, & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

In pudoris statuam.

Penelope despensa sequi cupiebat Vlyssem,
 Ni secum Icarius mallet habere pater.
 Ille Ithacā,hic offert Spartē.manet anxia virgo.
 Hinc pater,inde uiri mutuus urget amor.
 Ergo sedens uelat uultus,obnubit ocellos.
 Ista uerecundi signa pudoris erant.
 Quis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
 Hocque pudori aram schemate constituit.


Nupta contagioso.

Dij meliora pijs (Mezentii) cur age sic me
 Compellas?emptus quod tibi dote gener.
 Gallica,quem scabies,dura & mentagra perurit.
 Hoc est quidnam aliud (dic mihi saeue pater)
 Corpora corporibus:quam iungere mortua uiuis,
 Efferaque Etrusci facta nouare ducis?



I N S I G N I A.

Ad illust. Maximil. ducem Mediol. Super insigni Ducatus Mediolan. Emblema.




Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,
 Est gentilitijs nobile stemma tuis.
 Talia Pellæum gesisse nomisnata regem,
 Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus.
 Dū se Aminone satū, matrē anguis imagine lusam,
 Diuini & sobolem seminis, esse docet.
 Ore exit, tradunt sic quosdam enitier angues,
 An quia sic Pallas de capite orta Iouis?

Mediolanum.

Bituricis ueruex, Heduis dat Sucula signum.
 His populis patriæ debita origo meæ est,
 Quam Mediolanum Sacram dixere puelle,
 Terram: nam uestus hoc Gallica lingua sonat.
 Culta Minerua fuit, nunc est, ubi numine Tecla
 Mutato matris uirginis ante domum.
 Laniger huic signum Sus est, animálque biforme
 Acribus hinc setis, lanitio inde leui.

Nunquām procasti-
nandum.

A L C I A T A E gentis insignia sustinet alce,
 Vnguibus & undēp fert àræbællouēnQ.
 Constat Alexandrum sic respondisse roganti,
 Qui tot obiuisset tempore gesta breui?
 Nūquā(inquit) differre uolēs. quod & indicat Alce
 Fortior hec dubitet ocyor an' ne siet.



A R B O R E S.

Cupressus.

*Indicat effigies mete, noménque Cupressi
Tractandos parili conditione suos.*

A L I V D.

*Funcstā est arbor, procerū monumenta Cupressus,
Quale Apium plebis, comere fronde solet.*

A L I V D.

*Pulchra coma est, puchro digestaq; ordinē frondes,
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.*

Quercus.

*Grata Ioui est quercus, qui nos seruítq; , fouétq;
Seruanti ciuem querna corona datur.*

A L I V D.

*Glande aluit ueteres, sola nunc proficit umbra,
· Sic quoque sic arbos officiosa Iouis.*

Laurus.

*Præscia uenturi laurus fert signa salutis.
Subditā puluillo somnia uera facit.*



A L I V D.

Debetur Carolo superatis laurea Poenis:
Victrices oruent talia ferta comitis.

Abies.

Apta fretis abies in montibus editur altis:
Est & in aduersis maxima commoditas.

Picea.

At picca emittat nullos quæd stirpe stolones,
Illiū est index, qui sine prole perit.

Cotonea.




Poma nouis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus constituisse Solon.
Grata ori & stomacho cum sint, ut & halitus illis
Sit suavis, blandus manet & ore lepos.

Ilex.

Duritic nimia quod sese rumparet ilex,
Symbola civilis seditionis habet.

Hedera.

Haudquam aresecens hedera est arbuscula, Cisso
Quæ puero Bacchum dona dedisse ferunt:
Errabunda, procax, auratis fulua corynibis,
Exterius uiridis, cetera pallor habet.
Hinc aptis uates cingunt sua tempora fertis:
Pallecent studijs, laus diuturna uiret.



Buxus.

Perpetuo uiridis, crisoq; cacumine buxus,
 Vnde est disparibus fistula facta modis,
 Delitijs apta est teneris, & amantibus arbor.
 Pallor inest illi, pallet & omnis amans.

Malus medica.

Aurea sunt Veneris poma h.ec:iucundus amaror
 Indicat.est Gracis sic γλυκυτικης amor.

Populus alba.

Herculeos crines bicolor quod populus ornet,
 Temporis alternat noctisq;; diesq;; uices.

Salix.

Quid frugisperdem salicem uocitarit Homerus,
 Clitoris homines moribus adsimilat.

Amygdalus.

Cur properans folijs premitis amygdale flores?
 Odi pupillos præcocioris ingeni.

Morus.

Serior at Morus nunquam nisi frigore lapso
 Germinat: & sapiens nomina falsa gerit.

F I N I S.

TABVLA EMBLEMATVM IN LOCOS COMMVNES DIGESTORVM.

DEVS, SIVE RELIGIO.

In deo lætandum	7
Sapientia humana, stultitia est apud Deum	8
Ficta Religio	9
Nontibi, sed religioni.	10
Quā Dij vocant, eundum.	11

VIRTUTES.

FIDES.

Fidei Symbolum	12
Fœdera	13
Silentium	14
Non vulganda consilia	15
Nec quæstioni quidē cedendū	16

PRUDENTIA.

Consilio, ac virtute Chimæran superari: id est fortiores, & deceptores	17
Vigilantia, & custodia	18
Νῦφε, Χρῆ μίσυνος ἀπιστημένη, φρόντα ταῦτα τῶν φρεγῶν	19
πᾶν περιβολὴ τῆς ἐργαστήρα μετὰ στεφάνων	20
Prudentes	21
Prudens, magis quam loquax	22
Maturandum	23
In deprehensum	24
Custodiendas virginēs	25
Vino Prudentiam augeri	26
Prudentes vino abstinent	27
In statuam Bacchi	28

IVSTITIA.

Nec verbo, nec facto quenquam lædendum	30
Tandem, tandem iustitia obtinet	31
Etiam ferocissimos domat	32
Gratianū referendam	33

Abstinentia

Bonis à diuitiis, nihil timēdū	35
--------------------------------	----

FORTITUDO.

Signa fortium	36
A'ντιχειν, ἀπ' αντιχειν	37
In adulari nescientes	38
Obdurandū aduersus vrgentia	39

CONCORDIA.

Concordiæ Symbolum	40
Concordia	41
Concordia insuperabilis	42
Vnū nihil, duos plurimū posse	43
Firmissima cōuelli nō posse	44

SPES.

Spes proxima	45
In simulachrum Spei	46
Indies meliora	47
Illicitum non sperandum	48

VITIA.

PERFIDIA.

In Victoriam dolo partam	49
In fraudulentos	50
Dolus in suos	ibidem
Maledicentia	ibidem
In receptatores sicariorum	51
In adulatores	52
Ei qui semel sua prodegerit, aliena credi non oportere	53

STVLTITIA.

Temeritas	54
Furor & rabies	ibidem
In temerarios	55
In eos qui supra vires quicquam audent	56
Impossibile	57
Cuculi	58
Ira	ibidem

In eum, qui sibi ipsi damnum ap-	
parat	59
Fatuitas	60

SUPERBIA.

Superbia	ibidem
Impudentia	ibidem
Philautia	ibidem
Garrulitas	61

INVIDIA.

Inuidia	ibidem
---------	--------

LUXVRIA.

Luxuria	ibidem
Luxuriosorum opes	ibidem
Tumulus Meretricis	62
In amatores Mereticum	63
Cauendum à Meretricibus	64
Amuletum Veneris	ibidem
Inuiolabiles telo Cupidinis	65
Lasciuia	66
Aduersus Naturā peccantes	ibi.

DESIDIA.

Desidia	ibidem
Desidiam abijciendam	67
In facile à Virtute desiccentes	68
Ignaii	69

AVARITIA.

Auaritia	ibidem
In auaros	70
In Aulicos	71
In Sordidos	72
In diuities publico malo	ibidem
In auaros, Vel quibus melior con-	
ditio ab extraneis offertur	73

GVL.

Gula	74
Ocni effigies	75
In Parasitos	76
Paruam culinam duobus ganeo-	
nibus non sufficere	77
Captiuus ob gulam	78
In Garrulum, & Gulosum	79

NATVRA.

Vis Naturæ	ibidem
Ars Naturam adiuuat	ibidem
In Iuuentam	80

ASTROLOGIA.

Scyphus Nestoris	ibidem
Quæ supra nos, nihil ad nos	81
In Astrologos	82
Qui alta contéplantur cadere	83

AMOR.

Potentissimus affectus Amor	84
Potentia amoris	85
Visamoris	86
In studiotum amore captum	87
Avrīpws. id est, amor Virtutis	88
Avījs ws. Amor Virtutis alium Cu-	
pardinem superans	89
Dulcia quandoque amara fieri	90
Ferè simile, ex Theocrito	91
In Statuam Amoris	92
In obliuionem patriæ	94
Sirenes	95
Senex puellam amans	ibidem
Colores	96

FORTUNA.

Virtuti Fortuna comes	97
Fortuna Virtutem superans	98
Paupertatem summis ingenij ob-	
esse, ne proueliantur	99
In Occasionem	100
Iusubitum terrorem	101
In illaudata laudantes	102
In momentaneā felicitatem	103
Ex damno alterius utilitas	104
Bonis auspicijs incipiendum	ibi.
Nil reliqui	ibidem
Malè parta, malè dilabuntur	ibi.
Séper præsto esse infortunia	105
Remedia in arduo, mala in pro-	
no esse	106

HONOR.

Ex arduis perpetuū nomen	107
Ex literarum studijs immortalita	

tem acquisit <i>i</i>	103	Inanis impetus	ibidem
Tumulus Ioānis Galeacij Vice- comitis, Primi Ducis Mediola- nenſis	109	Aliquid mali, propter vicinum malum	131
Optimus ciuis	110	In eum qui truculentia suorum perierint	132
Strenuorū immortale nomen	111	<i>Ἐχθρὸς ἀδερφα δύσα</i> In dona ho- bituum	133
Nobiles, ac generofi	ibidem	A minimis quoque timendū	134
Duodecim certamia Herculis	112	<i>VINDICTA.</i>	
In nothos	ibidem	Iusta vindicta	135
Imparilitas	ibidem	Iusta vltio	136
In descifentes	113	Parē delinquentis, & suas oris cul- pam eise	137
Æmulatio impar	ibidem	Alius peccat, alius plectitur	138
Albutij ad D. Alciatum suadentis vt&c.	114	Insani gladius	139
<i>PRINCEPS.</i>		<i>PAX.</i>	
Princeps subditorum incolumi- tatem procurans	115	Pax	140
In Senatum boni Principis	116	Ex bello Pax	141
Quod non capit Christus, rapit Fiscus	117	Ex Pace vbertas	142
Contiliari Principum	118	<i>SCIENTIA.</i>	
Clementia Principis	ibidem	Doctos Doctis obloq̄ nefas eē	143
<i>REPVBLICA.</i>		Eloquentia, fortitudine præstan- tior	144
Salus publica	ibidem	Facundia difficultis	145
Reipublica liberata	ibidem	Antiquissima quæque comien- titia	ibidem
<i>VITIA.</i>		Insignia Poëtarum	146
In vitam humanam	119	Mūlicam Dijs curæ esse	147
Ære quandoque salutem redini- dam	120	Litera occidit: Spūs viviscat	148
<i>MORS.</i>		Diēta septem sapientum	149
Cum Laruis non luctandum	121	<i>IGNORANTIA.</i>	
De Morte, & Amore	122	Submouendam ignorantiam	150
In formotam fato præreptam	123	Mentein, non formam plus poi- lere	151
In mortem præproperam	124	Dives indoctus	152
Terminus	125	<i>MATRIMONIVM.</i>	
Opulenti hæreditas	ibidem	In fidem vxoriam	153
<i>AMICITIA.</i>		Reuerentiam in matrimonio re- quiri	154
Amicitia ēt post mortē durās	126	In fertilitatē sibi ipsi dānosam	155
Mutuum auxilium	127	Amor filiorum	156
Auxilium nunquā deficiens	128	Pietas filiorum in Parentes	157
Gratia	129		
<i>HOSTILITAS.</i>			
In detrātores	130		

Mulieris famam, nō formam vul-		Laurus	ibidem
gatam esse oportere	158	Aliud	163
In pudoris statuam	159	Abies	ibidem
Nupta contagioso	ibidem	Picea	ibidem
		Cotonea	ibidem
<i>IN SIGNIA.</i>		Ilex	ibidem
Ad illustrissimum Maximilia-		Hedera	ibidem
num &c.	160	Buxus	164
Mediolanum	161	Malus medica	ibidem
Nunquam procrastinandum	ibi.	Populus alba	ibidem
		Salix	ibidem
<i>ARBORES.</i>		Amygdalus	ibidem
Cupressus	162	Morus.	164
Aliud	ibidem		
Aliud	ibidem		
Quercus	ibidem		
Aliud	ibidem		

F I N I S.

Lugduni,
Excudebat Mathias Bonhomme

J. L. Bonhomme

Capital




Exhibit 1
C. P. C. 1922